



Quæstionum, Et Resolutionvm Legalium Libri Duo

Quæstionum, Et Resolutionum Legalium Libri Duo - Quorum Prior in duas Partes divisus, continet Resolutiones Beneficiales, Canonicas Et Regulares: Secundus Controversias Civiles determinat

Tonduti, Pierre François de

Lugduni, 1683

Cap. LX. Monasterium ex quibus probetur esse exemptum ab omnimoda Episcopi jurisdictione, & immediatè subjectum sedi Apostolicæ. Et quomodò possit prætendere jurisdictionem quasi Episcopalem, in ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98367](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98367)

in concursu plurium, qui sunt idonei, possit gratificari uni, omittis aliis idoneis: nec in tali casu deur gravamen considerabile, in quo fundari possit appellatio. Rot. d. decis. 591. n. 5. part. 1. recent. ubi dicitur ita fuisse iudicatum in una Ravenatensi coram Card. Arigonio, quæ inferitur apud Garc. de benefic. d. part. 9. cap. 2. num. 250. ¶ Imò ex mente Sacre Congregationis relata apud Garc. d. d. cap. 2. n. 109. Episcopus non tenetur sequi pluralitatem votorum, & sufficit quod eligatur idoneus, omisso magis idoneo: quia alias omnes electiones litibus, & controversiis essent suppositæ: ut fuit dictum apud Ludov. d. decis. 11. num. 8. quanquam in parochialibus verius sit, non solum in foro interiori, sed etiam in foro exteriori eligendum esse magis dignum; alias electionem nullam esse, ut notavit addit. ad Ludov. d. d. decis. 11. in littera E, in prima, & secunda conclusionem.

6 Nonquam tamen decerni debet novus concursus, nisi appellans doceat de dolo & irrationabili iudicio Episcopi, seu ejus Vicarij: alias sequeretur quod semper posset appellari ab electione Episcopi per concursum. Rot. d. decis. 223. num. 6. post consilia Farinacij, & in d. d. decis. 11. apud Ludov. num. 1. & in decis. 521. num. 1. ubi dicitur iudicium Ordinarij & examinatorum, in concursu ad beneficium in favorem alicujus, non posse revocari in secunda instantia, nisi appareat illud fuisse irrationabile, dolum, & carnalitati, aut humane passionis affectu prolatum. Ricc. in prax. rerum fori Ecclesiæ, decis. 426. num. 2. ubi dicit quod de dolo & irrationabilitate Episcopi evidenter constare debet, cum Bulla Pij V. conditionaliter loquatur; & ibi nonnullas doli, & irrationabilitatis conjecturas affert: veluti si familiarem & consanguineum suum eligat, si Doctorem, & unum ex compatriotis reiciat, & similia: quamvis ob solam Doctoris qualitatem, admissio illius, qui Doctoratus gradum non habet, non dicatur irrationabilis: ut declaravit Rot. d. decis. 551. num. 4. part. 3. recent. cum multæ aliæ qualitates considerari debeant, ut n. ox ostendimus. Et quod de irrationabili iudicio, & dolo Episcopi liquide constare debeat, docet etiam Marefcot. lib. 1. variar. resol. cap. 52. n. 24.

7 Et tamen tantum abest, ut de irrationabili iudicio Episcopi constare posset, quin potius multa concurrerant ad favorem provisi, qui nullum aliud habebat beneficium; cum tamen exclusus esset provisor de sufficienti redditu, tam ex beneficio, quam ex pensione; cum de jure is qui beneficio caret, præferendus sit ei qui aliud obtinet: cap. is cui, de præbend. in 6. & habetur in d. decis. 223. num. 2. post consilia Farinacij.

8 Rursum multæ aderant conjecturæ ad præsumendum, quod præfatus appellans habebat intentionem dimittendi illud beneficium suo nepoti, quia habebat beneficium duplo pinguius, quod per viginti annos possederat: aderant illius epistolæ, & confessiones nepotis, qui etiam constitutus fuerat procurator à patre ad litem hanc prosequendam; & ipse nepos declaraverat se de propriis pecuniis expensas litis soluisse: unde nullo modo fundata erat intentio dicti appellantis. ¶ Cum certum sit, ad concursum non admitti eum, qui habet intentionem resignandi: per text. in cap. omnia, §. ceterum, de elect. lib. 6. Ugo. lin. de offi. & potest. Episcop. part. 2. cap. 50. §. 6. num. 5. ubi addit, quod Romæ jurare cogitur concurrens, se non habere tunc animum renunciandi: & in seipso hoc ita observatum fuisse testatur. Præterea multæ aliæ haberi poterant considerationes per dominum Vicarium Episcopi, & examinatores synodales: ut quod rejectus, esset necessarius ad

exercitium curæ animarum in alio prioratu, quem continebat: Quod senilis ejus ætas non adeo apta erat ad beneficium, de quo contendeatur, cujus Ecclesia parochialis sita erat extra oppidum, intermedio existente flumine, quod hyeme, & æstate pertransire debet Parochus. ¶ Denique pro iudicio Episcopi, vel Vicarij in hac materia præsumendum est, nisi de dolo & irrationabilitate illius constet: cap. in presentia, de renunciat. Rot. d. decis. 223. num. 1. & alibi passim.

Neque obstat dixi quandam declarationem examinatorum synodaliū factam in contrarium. Quia ipsi non retractant votum suum, sed dixerunt se in eo non habuisse rationem ætatis & doctrinæ, dum declarant quis esset magis idoneus; sed ex eo motos fuisse, quia provisor nullum aliud habebat beneficium; rejectus verò aliud satis bonum obtinebat, in quo necessarius erat pro salute animarum: quod nocere non potest electo. ¶ Quia ut jam diximus, non solius doctrinæ & ætatis habenda est ratio in concursu, sed etiam circumstantiarum. Gonzal. ad regul. 8. gloss. 4. num. 113. & seq. Marefcot. lib. 1. variar. resol. cap. 52. numero 25. 26. & 27. Rot. in Faventina Parochialis, decis. 521. 551. & 563. part. 3. recent. ¶ Et in specie, quod præferri debeat destitutus beneficio, beneficium habenti, tenet Rota d. d. decis. 223. num. 2. post consilia Farinacij, & qui juxta munus & rem cui præfatur aptior est. Marefcot. d. d. c. 52. num. 28.

Non obstat etiam quod de intrusione electi opponebatur, ¶ Primò, quia non poterat dici intrusus, cum haberet titulum ab Illustriss. Domino Vicelegato, saltem coloratum; qui præbet excusationem. Rota decis. 741. num. 8. part. 2. recent.

Item nullos fructus perceperat; cum tamen ad hoc ut quis dicatur intrusus, oportet ut fructus perceperit. Putius decis. 45. lib. 3. Rot. decis. 531. numero 2. in fin. part. 2. recent.

Denique in omnem eventum Responsum fuit, ipsum fuisse rehabilitatum, & novam Gratiā & provisionem obtinuisse; quod sufficit. Garc. de benefic. part. 11. cap. 10. num. 225. maxime autem ante fructuum perceptionem. Idem num. 235. & in terminis Paris. de resignat. lib. 8. quest. 9. num. 90.

Re mature discussa post longas altercationes, & varias Sacre Congregationis declarationes, Rota iudicavit secundum hæc scripta in favorem R. D. Horatii Laurentij, super prioratu loci de Rocabeliera, in Nicinesi Parochialis, 13. Martij 1628. quæ decisio inferitur apud Burat. decis. 137. confirmata part. 5. recent. decis. 260. & 44.



CAPUT LX.

Monasterium ex quibus probetur esse exemptum ab omnimoda Episcopi jurisdictione, & immediatè subjectum sedi Apostolicæ. Et quomodo possit prætere jurisdictionem quasi Episcopalem, in omnibus causis, tam matrimonialibus, quam criminalibus. Et utrum huic jurisdictioni fiat præjudicium per actus contrarios, factos à Religiosis contra formam privilegiorum Apostolicorum.

SUMMARIUM.

- 1 Exemptio realis monasterij à jurisdictione Episcopi, comprehendit personas, & bona.
- 2 Per exemptionem censetur derogatum omnibus juribus Episcopi, si ampla fuerit.
- 3 Per quas clausulas concessa censetur monasterio jurisdictio quasi Episcopalis.
- 4 Per exemptionem amplissimis verbis conceptam, censetur creatum novum, & separatum territorium à reliqua diocesi.
- 5 Prior & conventus habentes jurisdictionem quasi Episcopalem, vocari possunt Dioecesi illius territorij à diocesi Episcopi separati.
- 6 Territoriorum separatio probatur ex separato exercitio jurisdictionis in certo loco, independenter ab Episcopo.
- 7 Exemptio à jurisdictione Episcopali in certo territorio potest acquiri per immemorabilem prescriptionem.
- 8 Regulares possunt exemptionem ab Episcopali jurisdictione acquirere, prescriptione immemorabili.
- 9 Quamvis cognitio causarum matrimonialium, & criminalium spectet de jure, & ex Concilio Tridentino ad Episcopum: tamen potest adversus eum jus de eis cognoscendis acquiri prescriptione immemorabili, quam Concilium tollere non intendit.
- 10 Cessante dispositione Concilij, sufficeret prescriptio quadragenaria ad acquirendam exemptionem adversus Episcopum, & jurisdictionem circa causas spirituales, si cum ea adesset titulus.
- 11 Quando agitur de observantia interpretativa, non est necesse ut probentur omnia ad prescriptionem requisita: sed sufficit solum observantiam probare.
- 12 Acquiescentia Episcoporum, imò sola suspicio se posse repelli, tribuit quasi possessionem monasterio jurisdictionem quasi Episcopalem exercenti.
- 13 Scientia possessionis adversarii presumitur ex longi temporis possessione, & ex actuum multiplicitate.
- 14 Jurisdictio, & quavis alia possessio per prescriptionem acquisita, censetur acquisita privative, & non cumulative.
- 15 Religiosi exempti à jurisdictione Ordinarij, & sanctæ sedis Apostolicæ immediate subiecti, non possunt per quoscumque actus in præjudicium sedis Apostolicæ præjudicare suæ exemptioni; & se supponere jurisdictioni Ordinarij.
- 16 Si Episcopus adversus exemptum prescripserit, illemet qui prescriptionem passus est, potest opponere de jure sedis Apostolicæ adversus Episcopum.
- 17 Episcopus ad locum exemptum, qui aliàs erat de ejus diocesi, accedens, non potest exigere jura honorifica in loco exempto, & habente jurisdictionem quasi Episcopalem, nisi eo modo quo debetur honor & reverentia cuicumque Episcopo extraneo, ratione sui gradus & dignitatis.

IN questione proposita Censui in primis Conventum esse prorsus exemptum ab Episcopali jurisdictione, stantibus Bullis plurium summorum Pontificum, quibus Ecclesia & prioratus, de quo agitur, cum suis pertinentiis, in jus & proprietatem ac protectionem sancti Petri, & sedis Apostolicæ

recipiuntur; & ab omni potestate & dominio, ac jurisdictione omnium Ordinariorum perpetuo ex certa scientia eximuntur, & exempta declarantur: dictusque Conventus ad Ecclesiam Romanam immediate dicitur pertinere. Quæ exemptiones cum sint reales, non solum personas, sed etiam res, & bona ac loca ipsa comprehendunt. Rot. decis. 205. num. 1. part. 6. recent. & apud Tamburin. decis. 55. num. 7. eadem Rota decis. 43. num. 4. d. part. 6. ubi dicitur quod per talem exemptionem censetur derogatum omni juri, Ordinatio competentis: & decis. 156. eadem part. num. 1. ubi alia jura allegantur. Ultra dictam exemptionem: Dixi competere præfato Conventui, seu Priori & religionis illius, vigore dictarum Bullarum Apostolicarum jurisdictionem Episcopalem: cum possint habitatores dicti loci, & exteros illic advenientes cogere ad audienda divina; & ad confitendum, & communicandum tempore opportuno; necnon inobedientes punire in casibus, in quibus veri Dioecesani suos subditos compellere possunt. Item absolvere à excommunicatione, & casibus reservatis, & casus sibi reservatos ornamenta Ecclesiastica, necnon Ecclesiam ipsam & Cimiterium in casum violationis benedicere. Verum quia quæ sunt ordinis non possunt ab Episcopali autoritate separari; concessa fuit dictis religiosi facultas, Episcopos sibi bene visos invitandi, ut omnes sacros ordines in eodem loco quibuscumque personis secularibus, aut religiosis conferre possint, aut si maluerint, ordinandos ad quoscumque voluerint Antistes dimittendi: Christum, & oleum sanctum ab Episcopis sibi benevisis recipiendi: curam animarum exercendi per se, vel presbyteros seculares per Priores institutos; adeoque eo, quod occasione dictæ Curæ rationem reddere teneantur, aut alicui Dioecesano penitus subiecti sint.

Ex quibus omnibus resultat evidens probatio autoritatis quasi Episcopalis: cum tales actus non conveniant nisi habentibus illam potestatem, & jurisdictionem: ut determinavit Rota coram Philippo apud Marchesan. de commiss. tom. 1. in de commiss. appellat. in possessione & saluano, fol. 50. r.

Neque existimandum est, jurisdictionem dicti Priori & conventui competentem, cumulative concessam esse: quin potius privative, ut probatur ex tenore dictarum Bullarum Apostolicarum, per quas Ecclesia, & locus prædictus omnino potius fuit extra diocesim, & factus veluti territorium separatum, & nova diocesis. Gratian. dist. 1. c. 1. cap. 212. numero 9. & seqq. quia licet locus ille ex natura sua, & originaliter esset de diocesi, tamen per privilegium Apostolicum ab illa liberatus & separatus est: Roland. à Vall. cons. 11. num. 28. volum. 3. & Prior ac religiosi dicti conventus dicuntur Dioecesani illius loci, excommunicati. Felin. in cap. cum olim 18. in princip. in v. p. secundo limita, de prescriptionibus. Et de his patet habet Gratian. d. cap. 212.

Et ex eo quod dicti Prior, & Religiosi omnino exercent jurisdictionem in dicta Ecclesia, & locis illius, aut ab ea dependentibus, eo ipso probatur territoriorum separatio: Rot. decis. 205. versic. qua quidem, part. 2. di. vers. Balbus de prescript. part. 5. quest. 11. n. 7. & 8. Scraph. decis. 1. num. 4. Tamburin. decis. 69. num. 12. & decis. 101.

Predicta confirmantur, eo quod dicti Prior & Conventus à tempore immemorabili, videntur & non contradicentibus Episcopis, imò ipsi contra-

- 7 scripserunt. † De jure autem, quamvis privilegia Pontificia cessarent, totalis exceptio à jurisdictione Ordinarii cum jurisdictione quasi Episcopali, etiam privative, & status nullius diocesis praescribi potest, *cap. cum persona, §. si autem, de privileg. in 6. Balbus de praescript. part. 5. quest. 11. num. 4. ubi loquitur etiam de Praelato regulari, Rot. decif. 145. num. 5. part. 2. divers.*
- 9 Quod etiam locum habet ratione jurisdictionis, & cognitionis causarum criminalium, & matrimonialium: quia licet Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 20. §. ad haec*. Hujusmodi causarum cognitionem soli Episcopo tribuerit; non tamen excludere voluit praescriptiones immemorales, ut saepius sacra Congregatio declaravit. Rot. apud Postum de *Manuten. decif. 306. num. 3.* & antea coram Aldobrandino, 1. Junij 1565. apud Tambur. *decif. 29. & decif. 43. num. 5. & decif. 44. num. 6.*
- 10 Cum aliis sufficeret quadragenaria cum titulo, ut locus ille censetur effectus proprium territorium dicti Prioris & Conventus; & non dicatur amplius de diocesi antiqua, sed nullius diocesis. Rota apud Tamburin. *de jur. Abbatum decif. 40. & decif. 48. num. 8. idem Tamburin. in dicto tract. tom. 2. disput. 15. quest. 9. num. 16. & 17.*
- 11 Sed in casu isto praescriptio immemoralis potius est interpretativa titularum praecedentium, & concessionum ex privilegiis Apostolicis Priori & Conventui factorum, quam novi juris inductiva: quo casu sufficit probare solam observantiam, quamvis non probentur requisiti ad praescriptionem. Rot. apud Postum *decif. 71. num. 1.* interveniente potissimum scientia, & expresse consensu Episcoporum, † quos sufficiebat acquivisse repulsioni & etiam per Religiosos exemptos, aut aliàs se habuisse pro spoliatis ad effectum acquisitionis, seu potius conservationis juris, & jurisdictionis quasi Episcopalis. Innoc. *in cap. dilectus, num. 3. & ibi Hostiens. num. 1. versic. ex praedictis, de capell. Monach. cum aliis quos citat & sequitur Rot. apud Tamburin. loc. citat. decif. 53. num. 9. & decif. 63. num. 15.* † Imò scientia Episcoporum, cessantibus etiam praedictis probationibus, praesumeretur ex actu multiplicitate, & temporis diuturnitate: Rota *decif. 685. num. 4. part. 5. recent.* Seraph. *decif. 306. num. 5. & 7.* & apud Postum *decif. 139. num. 7.*
- 14 Imò jurisdictione per praescriptionem acquisita censetur privative, & non cumulative: quod generaliter obtinet in quacunque possessione acquisita per praescriptionem, ut privative quaesita censetur. Felin. *in cap. pastoralis, num. 5. in 8. limitat. de offic. Ordinari.* Joan. Bapt. Ferrer. *consil. 142. numero 13. Menoch. lib. 2. praesumpt. 18. num. 24.*
- 15 Quae adeo vera sunt, ut quamvis religiosi dicti conventus aliquos actus fecissent in praedictum praesentis exemptionis; nullum tamen ex eo jus quaesitum fuisset, quia cum conventus sit immediate subiectus Summo Pontifici, non potuit per aliquos actus factos inter Priorem, religiosos, & Episcopum, praedictum inferre sedi Apostolicae, seu juribus ipsius. Gloss. *in cap. dilectus, in verb. generaliter, de capell. monach. Seraphin. decif. 1025. num. 23.* † Adeo ut ipse exemptus, contra quem forsitan Episcopus praescripisset, opponere possit de jure sedis Apostolicae, & ea ratione Episcopi praescriptionem eludere. Abb. *in cap. ad audientiam, sub num. 12. in versic. in contrarium tamen, de praescriptionib. quam sequitur ibidem Felin. sub num. 17. versic. & nota bene. Lotter. de re benefic. lib. 1. quest. 24. num. 244. & 245.*
- 17 Hinc sequitur, quod Episcopo ad illum locum

accedenti non sunt debita jura honorifica, neque reverentia, quae ratione jurisdictionis Episcopis exhiberi solent: sed ea duntaxat, quae cuilibet Episcopo extraneo ratione suae Episcopalis dignitatis debentur: cum exemptio sit plena, & ejus privilegium emanaverit à summo Pontifice: juxta tradita per Puteum *decif. 114. lib. 3. in correct.* post Felin. *in cap. cum inter, de re judic. Rot. decif. 111. numero 16. part. 5. recent.*

Unde hodie dicti Religiosi, & Conventus manentur in possessione, seu quasi dictae jurisdictionis privative, in vim dictarum Bullarum, & privilegiorum Apostolicorum: non obstantibus quibuscunque Episcopi reclamationibus.

CAPUT LXI.

An, & quando, & in quibus casibus Episcopus teneatur sibi assumere duos adjunctos ex capitulo, dum procedere vult contra capitulares, vel contra ipsum capitulum in casum delicti. Et quando capitulares dicantur praescriptione acquivisse jus cognoscendi de causis suorum capitularium, privative ad Episcopum. Utrum privatio distributionum adversus negligentes, vel delinquentes, sit actus jurisdictionalis, & utrum mala fides auctoris noceat successoribus in beneficio. Denique de scientia, & patientia adversarii in praescriptione in certis casibus non requisita; & de actibus factis post completam praescriptionem.

S V M M A R I V M.

- 1 Episcopus de jure communi habet potestatem corrigendi, & puniendi omnes Ecclesiasticos suae diocesis.
- 2 Concilium Tridentinum mandans causas tractari coram Episcopo, cum duobus adjunctis per capitulum deputandis, non habet locum, nisi quando ad capitula exempta.
- 3 Contra capitula exempta, & personas capitulares, Episcopus potest sine adjunctis procedere in visitatione.
- 4 Capitulares qui bona Ecclesiae administrant, cogi possunt per Episcopum ad reddendas rationes administrationis, in visitatione.
- 5 Extra visitationem Episcopus sine adjunctis procedere potest ad informationes, & ad ipsam capturam in crimine concubinae, & aliis gravioribus.
- 6 Quando totum capitulum delinquit, potest Episcopus procedere sine adjunctis.
- 7 Confirmatio dicitur facta ex certa scientia, quando totus tenor privilegij, vel rei confirmatae, inseritur in Bullis, vel litteris confirmationis.
- 8 Episcopus potest praescribere etiam privative, adversus capitulum jurisdictionem, ex privilegio, aut aliter capitulo competentem.
- 9 Praescriptio privativa jurisdictionis inducitur in favorem Episcopi, adversus capitulum, cui jurisdictionis competebat, si non obstante oppositione capituli, & illius contradictione, Episcopus jurisdictionem exercuerit.

10 Privatio